
MH
138
E53


HARVARD:
UNIVERSITY
ARNOLD:
ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~
CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/decorticesimarou1746lein

DE CORTICE SIMAROVBA

PRAESIDE

IO. FRIDERICO CRELLIO

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE ANATOMIAE PHYSIOLOGIAE ET PHARMACIAE P.P.O. ACAD. IMPER. NAT. CVR. SOCIO ET ORDINIS MEDICI H.T. DECANO SPECTATISSIMO

PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO PIE COLENDO

IN IVLEO MAIORI

PRO GRADV

IN MEDICINA DOCTORIS

DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES SIGISMVNDVS LEINCKER

NORIMBERGENSIS

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

DIE XXVIIII. DECEMBRIS MDCCXXXXVI.

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

PARI

VIRORVM PERILLVSTRIVM AC GENEROSISSIMORVM
EMINENTISSIMORVM SENATVS NORIMBERGENSIS
PROCERVM

DOMINO
IO. CAROLO EBNERO

AB ESCHENBACH, GVTTENBERG ET ERLESTEGEN

ET

DOMINO
CHRISTOPHORO VOLCKAMERO

A KIRCHENSITTENBACH ET RELIQVA

PRAESIDIBVS

CELEBERRIMI QVOD NORIMBERGAE FLORET
COLLEGII MEDICI GRAVISSIMIS

NEC NON

VIRIS MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS AC EXPERIENTISSIMIS
INCLVTI HVIVS COLLEGII

DOMINO DECANO
DOMINIS SENIORIBVS
ET
IVNIORIBVS

SPECTATISSIMIS ET DIGNISSIMIS

DOMINIS MAECENATIBVS AC PATRONIS

SVMME COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

SACRAM ESSE IVBET

AVCTOR.

* * *

VOS

Quibus O PATRIAE PROCERES, eſt cura ſalutis,
Exiguum muſæ munus habete meæ.
Namque cui poſſit maiori tradere iure
Neſcit, & hinc Veſtros audet adire lares.
Scriptum hoc eſt medicum, medicam defenditis artem,
Ergo ſuis Dominis quid debet illa feret.
Hinc quod carminibus variis eſt ſæpe ſolemne,
Anxia nec PHOEBI Numina muſa vocat.
Vos ipſi (læta duntaxat fronte fauete)
Eſtis præſidio PHOEBVS Vterque ſuo.

Vos quoque VOS veſtri rutilantia ſidera cœli
Suſcipite hoc ſpecimen cum pietate meum,
Nec tamen indignum conamen dicite tantum,
Hoc nam ſubmiſſæ teſſera mentis erit.
Veſtra meam muſam ducebat gloria, chartas
Vt vobis ſacras iuſſerit haſce ſimul.
Sic mea ſe veſtris meritis reuerentia ſiſtit,
Quam vobis docto quisquis in orbe debet.

Par equidem non ſum per veſtras ire Patroni
Laudes, ſed veneror maxima facta tamen.
Quis non tot fauſtæ gratiſſima curet Hygeæ
Nomina, pars famæ quæ tibi Noris erunt?

Veſtra quis ex paginis non & commercia norat?
Auctior his curis nam Medicina fuit.
Induit hinc eadem tot poſt inuenta cothurnum
Et caput ex tenebris exſerit alta ſuis.
Si quis & in rebus medicis hoc nesciat hospes,
Scripta per hebdomadas tot repetita legat: (*)
Si quæ corrigeret forte obſervatio curas,
Hanc veſter calamus ſuaſit in arte ſtatim.
Per vos prosperior medicinæ creuerat ætas,
Vos ipſi multas conciliaſtis opes.
Exterus huc quantum mercando conferat orbis,
Ex Veſtra pariter ſedulitate patet.
Africa quas tulerit plantas, quas India mittat;
Quid dederint rerum vel tria regna noui;
Siue quod ingenium Gallorum majus alebat;
Seu quod judicio ſæpe Britannus agat;
Hoc licet ex illis dudum cognoſcere chartis,
His Vos æternum nomen honosque manent.
Has ergo merito celebrat Germania curas,
Ipſaque tam doctum Phyſica gaudet opus.

Ipſemet & teſtis (liceat me dicere teſtem)
Dum vivam Veſtri ſemper honoris ero.
Vſus eram veſtris nec diſſimulabo, libellis
A me diſpoſitus dum labor hicce fuit.
Paucis in libris cortex SIMAROVBA virescit,
Sed decus in Veſtris conſtat abunde ſuum.
Vix deſcripſerunt LABAT & MARCHAISIVS illum,
Iam referunt Medici quos mea Noris amat.
Laudet IVSSAVVS, ſpernat COCKBVRNIVS ipſum,
In latio verſum quisquis ut optat, adeſt.

Immo

(*) Celebratiſſimum commercium litterarium ab 1731. ad 1746. continuatum.

Immo Vos huius ſuadetis Corticis vſum,
O quam res velis hæc erit apta meis!
Scilicet effectum ſi nomina tanta virorum
Spondent, pro nobis lætius omen erit.
Quod celebrat DEGNER, mihi quod WERLHOFIVS ipſe
Prædicat, id fauſtum ſit Medicina tibi.
Quem probat HEISTERVS, quem CRELLIVS inde tuetur
Cortex per terras laude ſuperbus eat.
Mœreat arcanum detectum rite medendi
Fluxibus, in pluuiis vda Cayenna ſuis.
Vobis interea meritas nunc defero grates,
Iam per Vos laudem quod SIMAROVBA gerat.
Nunc minus exacuet Dyſenterria dolores
Illius extinctum mox bene virus erit.
Hinc huius ſemper ſuccreſcas Corticis Arbor
Et redeat fruſtis nauis onuſta tuis.
Excitet hoc ſcriptum parvo tentamine plures,
Vt tam proficuum ſtabiliatur opus.
Semper in Europam ſic mittet America merces
Vnde ſuum felix cernit Hygea decus.

Vos bene de tanto dudum meruiſtis honore,
Hinc Vos arte rudis ſed pius ore, colo.
Aſt hoc, quod faciam ratio nec ſufficit illa,
Commovet & mentem non minor hæcce meam:
Inter Vos memini quondam coluiſſe Parentem,
Ergo connatæ res pietatis erit.
Inde ego Vos adeo veneror, ſed cogit id ipſum:
Proh dolor, amiſſum ſæpe dolere Patrem.
Hoc ego vix aliter poſſum lenire Patroni,
Quam ſi Vos cogito, Vosque fauere, ſcio.
Ergo labantem pariter nunc tollite mentem,
Sumite ceu dextre pignus & hocce manu.

PRAELOQVIVM.

Nihil anxie magis ab iis, qui artem ſalutarem in compendio veluti addiſcere & ſine magna ſollicitudine exercere geſtiunt, deſideratur, quam vt contra quemcunque morbum adeo certa eique propria veluti remedia, quæ ſpecifica nominare ſolent, iis innoteſcant, ut audito morbo ad ſuum ſtatim antidotum confugere, eodemque vim illius omnem profligare queant. Nihil tamen his eorum votis ſaluti hominum, quam promouere velle iactant, damnoſius fere deprehenditur, quam ſi nimia credulitate magnam illorum farraginem undique corraſerint, hisque præſidiis inſtructi omnibus ſe morbis debellandis ſine curatiore indagine pares fore opinentur. Etſi enim illud omnino præfracte negare nolim, innotuiſſe aliquot præ-

clara eiusmodi remedia, quæ in certis morbis prudenter adhibita eximiam ſane in eorum curatione virtutem exerant, aliisque propterea iure præferenda videantur: dudum tamen ab iis, qui ad morbi cuiusuis genium & remedii eidem opponendi indolem curatius attenderunt, ea ſæpe, quæ hoc rerum ſtatu ſalutaria fuerant, mutatis conditionibus in eodem morbo pernicioſa euaſiſſe, animaduerſum eſt. Vt adeo mirandum neutiquam ſit, quod hac cautione neglecta ſpem ſuam, quam in laudato ab aliis iure remedio collocauerant, irritam fuiſſe, non tam remedii, in ſe perquam egregii, quam illorum, qui præpoſtere illud adhibuerant, culpa conqueruntur. Quod uti pluribus ex omni morborum late patente ambitu petitis documentis confirmare in procliui foret, ſic unico in præſenti illuſtrare exemplo liceat. Quis leuiter in arte ſalutari peritus ignorat, dyſenteriam grauiſſimum inteſtinorum morbum ſæpius a colluuie cruditatum in primis viis cumulatarum excitari, ſuſtentarique, hoc vero fomite tempeſtiue ſublato funeſtum hunc alui fluxum e voto ſopiri; unde magnam in eius curatione famam *Ipecacuanhæ radix* obtinuit, quæ, placidum moderatumque ciendo vomitum, materiam peccantem proxima via e corpore expellit, ſicque noxas ab eius diuturniore mora & per longum inteſtinorum tractum tranſitu metuendas auertit, ſimulque vi ſua roborante tonum inteſtinorum reſtituit. Quas egregias laudatæ radicis virtutes ex inſtituto in Diſſertatione ſua inaugurali *de Ipecacuanha Americana & Germanica* ſub præſidio GEORGII WOLFFGANGI WEDELII anno 1705. Jenæ edita B. PARENS meus deſcripſit.

Tantum

Tantum tamen abeſt, ut omnem huius grauiſſimi morbi medelam ſolo hoc remedio perfici poſſe, perſpecta eius natura, crediderit, id quod alii, felicibus aliquot experimentis inducti, temere adſeruerant, ut potius conuellere hunc errorem omni ſtudio p. 32. annitatur, unde ſequentia excerpere liceat: *Cumque obſeruatum ſit, etiam a purgante repetito remota & euacuata iam abundante cacochymia non amplius purgatum corpus, ſed ſubſtitiſſe medicamenti operationem, inde forte factum fuit, quod & Ipecacuanha iterata vice propinata fuerit: & legentibus elogia illa videri poſſet una ſola ſufficere, aſt cum indicata non debeant ultra indicationis ſphæram prouehi, ipſa vero Ipecacuanha primario euacuandi fine propinetur, ſecundario pro roborandi ſcopo & adſtringendi, non ſunt hæ indicationes inter ſe confundendæ, ſed regulæ inſtar tenendum: non promiſcue in dyſenteria, nec continue & ſola danda eſt Ipecacuanha. Satis eſt gloriæ, quod ad curationem morbi longe grauiſſimi inſigne fœneratur momentum & fundamentum; quod tam ſtrenue præſtat, cauſam fouentem reuulſione per vomitum tollendo. Aſt ſi quis ultra extendere ſuſtineat vires eiusdem, & reliqua omnia inſuper habere, plusquam empirice a via regia methodi medendi aberrauerit.* Quod grauiſſimum monitum multiplici experientia roboratum, impulit medentes, ut de remediis, quæ inchoatam ab Ipecacuanha ſanationem feliciter perficiant, circumſpicerent. Quorum uti varia a diuerſis ex ampliſſima roborantium, ſopientium atque adſtringentium penu non inani ſucceſſu adhibita ſunt, ita noſtris temporibus in primis cortex exoticus SIMAROVBA dictus, multorum excitauit attentionem: qui præmiſſa debita euacuatione blande dolorum

vehementiam ſopire, nimiam deiectionum frequentiam compeſcere & ſine periculo ſiſtere, non in natali ſolum ſolo ab indigenis obſeruatus fuit, ſed in noſtris etiam terris non minorem exſeruiſſe virtutem prædicatur. Quare cum iam finito ſtudiorum curriculo ſpecimen aliquod ſtudiorum ſcriptione publica edendum mihi ſit, B. PARENTIS exemplo excitatus eiusdem veſtigiis inſiſtere decreui, cumque ille medicamentum, quod euacuando ſub initium morbi egregiam fert opem, ſibi excutiendum ſumſerit, alterum hoc, corticem nimirum SIMAROVBAE, qui mutando & corrigendo in progeſſu morbi ferat ſuppetias, ad examen reuocare conſtitui. Quo grauius eſt, quod mihi pertractandum ſelegi argumentum, quo vero pauciora de eodem hactenus tradita ſunt, eo faciliorem ab æquis lectoribus veniam me impetraturum ſpero, ſi non omnibus numeris abſolutam hanc meam inuenerint opellam, contentus, ſi aliorum hoc labore meo, ad vires remedii, quod egregia quæuis ſpondere videtur, ulterius indagandas, pluribusque experimentis confirmandas, excitauerim induſtriam.

§. I.

Vſus itinerum ad Indos in Medicinam redundans.

Magnam omnino ad materiam medicam acceſſionem, per nauigationem longius provectam, huiusque ope detectam AMERICAM, & commercia cum gentibus antea incognitis inſtituta, factam eſſe nemo facile negabit, ſi quidem inde præter alias diuitias, nouosque forte & antea nunquam viſos auditosue morbos, noua etiam remedia non contemnendæ efficaciæ allata, & vti noua plerumque

que ac diſſitis e regionibus ad nos traducta præ vulgatis ac domeſticis magnifacere ſueuimus, magno applauſu excepta, remediorumque catalogo illata ſunt. Nunc enim ab itinerum ſcriptoribus, qui nouiter detectarum regionum exactiore delineatione curioſorum animos ſatiare certatim laborarunt, inter alia morborum etiam ibidem graſſantium, & remediorum contra eosdem adhiberi ſolitorum mentio facta eſt: nunc a mercatoribus ea, quæ præ ceteris magnam ibidem famam acquiſiuerant, ſecum transportata & ſub initium plerumque arcani titulo velata, in vſumque non ſine inſigni lucro vocata ſunt, donec tandem ſi felix experimentorum ſucceſſus reſponderet, publici iuris redderentur.

§. II.

Eadem ratione corticis quoque SIMAROVBAE vis noſtris in terris innotuit, ſiquidem primus fere EQVES MARCHAIS in relatione itineris ſui, quod in Guineam vicinasque inſulas inſtituit, quam Rev. P. LABAT ſub titulo, *Voyage du Cheualier des Marchais en Guinée, Isles voiſines & a Càyenne fait l' année 1725. & ſuiuans*, quatuor voluminibus Amſtelodami in 8vo. anno 1731. evulguauit, de eiusdem virtutibus memoratu digna ſatis quidem, quantum a viro artis medicæ principiis non imbuto expectari poterat, copioſe & accurate tradidit. Poſtquam enim T. II. c. VI. de commerciis in Regno Judæ florentibus egerat, mentionem etiam morborum, quibus cum indigenae, tum Europæi ibidem frequentius infeſtentur, iniicit, atque inter poſteriores dyſenteriam p. 123. admodum illis funeſtam commemorat, vtpote quæ omni fere anni tempore Euro-

Illuſtratur Simaroubæ exemplo.

Europæos inuadat; ſæpius febres intermittentes, diuturnas hic & curatu difficiles, excipiat, non raro ab immoderato uſu fructuum horæorum, aut nimis copioſo & imprudenti potu aquæ dulcis fontium & fluuiorum concitetur, longe vero ex autoris obſeruatione frequentius ſpiritibus fermentatis intemperanter hauſtis debeatur. In huius morbi curatione ſtupendum effectum prædicat SIMAROVBAE, quæ in inſula GALLIAE ORIENTALIS *Cayenne* dicta, æque ac adiacentibus inſulis copioſe crescat, de cuius virtute in fluxibus alui variis, dyſenteriis, quin & haemorrhagiis ſiſtendis longa dies & multiplex experientia incolas illius certiores reddiderit. His laudibus commotum Monachum e Societate IESV, eandem cuidam DV SOLEIL dicto, collegii Pariſini Pharmacopeo transmiſiſſe, qui feliciſſimo ſucceſſu contra eosdem morbos radicem hanc ſollicite occultatam adhibuerit, donec tandem arcanum illud detectum vſusque illius pluribus innotuerit.

§. III.

Quando in Gallia primum Simarouba cognita?

Quibus annis cortex hic in Galliam transportari cœperit non adiecit MARCHAISIVS, neque de vſu illius arcani empirico aliunde conſtat, quod tamen ſi adeo ſtupendi fuiſſent eius effectus forte tanto ſilentio tectum non fuiſſet. Sed propiora nos de corticis huius hiſtoria, quaue ratione vires illius in Gallia Medicis innotuerint, docet *l' hiſtoire de l' Academie des Sciences de Paris de l' année* 1729. in qua non ſolum ſuccincta eius hiſtoria p. 37. ſeqq. exhibetur, ſed inter ſcripta etiam

eiusd.

eiusd. anni p.42. ſeqq. ſingularis commentatio ANTONII DE IVSSIEV celeberrimi in horto Regio Botanices Profeſſoris inſeritur, in qua copioſius de eiusdem viribus disquiritur. Vnde anno iam tùm huius ſeculi decimo tertio corticem hunc Cayenna ad Comitem PONTCHARTRAIN delatum, illumque in natali ſolo feliciter contra fluxus alui quoscunque adhiberi ſignificatum eſſe discimus: operæ ille pretium ducebat, ut vires illius curatius indagarentur, hinc FAGONIO Regis Archiatro reliquisque horti regii Profeſſoribus, Academiae Scient. Sociis eandem examinandam tentandamque tradebat. Sub initium quidem inſtituta experimenta illud ſaltem manifeſtabant, inter innoxia, tutaque remedia locum illi concedendum eſſe, quod ſine omni dolore & moleſtia, ſine etiam ſenſibili quadam euacuatione aſſumi poſſet.

§. IIII.

Anno vero 1718. cum dyſenteriæ vehementer graſſarentur, neque purgantibus aut adſtringentibus cederent, imo ab uſu Ipecacuanhæ exacerbarentur, magis huius radicis ſalutaris efficacia innoteſcebat, omnibusque reliquis palmam præripiebat. Vnde maiorem huius radicis copiam circumſpiciebat cl. Iuſſieu, ut in aliis etiam morbis uſum eius tentare poſſet; quem inprimis in pertinacibus illis hæmorrhagiis uterinis, multas fœminas miſere conficientibus, ſalutarem poſtea deprehendit: hinc laudatiſſimo inſtituto, quæ plurium annorum induſtria de hoc cortice obſeruauit, cum Eruditis ſcripto hoc communicare inſtituit. Neque hic viri clariſſimi, bene de hoc cortice

Quando in vſum primum Lutetiæ Pariſiorum Simarouba vocata fuerit.

tice merendi, uſumque illius aliis etiam commendandi ſtudium, ſubſtitit, ſed anno inſequente etiam 1730. diſſertatione 16. Febr. in Scholis Medicorum Pariſienſibus disputata quæſtionem: *An in fluxibus alui inueteratis* SIMAROVBA *conducat?* propoſuit, ex qua potiora momenta in Illuſtris WERLHOFII Obſeruationibus de Febribus p. 100. n. h. & Clariſſimi IO. BOECLERI. Cynoſuræ materiæ medicæ continuatione II. p. 95. excerpta habemus: ipſum enim ſcriptum omni quamuis data opera inſpicere nobis haud licuit.

§. V.

Simaroubæ fama increbuit.

Imo vero, eodem tempore ad plures celebriores Medicos, cum quibus litterarum illi commercium erat, partem eius aliquam transmittebat, ut ipſi quoque cum eadem occaſione data experimenta poſſent inſtituere: quos inter Illuſtrem HEISTERVM noſtrum, Hoſpitem, Præceptorem atque Patronum æterna memoria colendum commemorare liceat, qui inſignius quoddam fruſtum ligno adhuc ſuo adhærens pro ſua erga nos ſingulari fauore nobiscum communicauit. Cum ſic latius illius ſpargeretur fama, inſigniaque adeo elogia a Viro Cl. diuturna experientia comperta pluribus innoteſcerent, alios etiam ad illam in uſum vocandam excitatos eſſe mirandum non erit: cum inprimis Celeberrimi *Commercii litterarii Norimbergenſis* EDITORES Germanis etiam notiorem reddere SIMAROVBAM pro ſuo, in promouendum rei medicæ & ſcientiæ naturalis incrementum, ſtudio nunquam ſatis deprædicando, non ſolum copioſum ex

IVS-

IVSSIEV ſcripto in commentariis Academiæ Regiæ Pariſienſ. contento excerptum. p. 201. Anni 1732. exhibuerint, ſed ea etiam quæ MARCHAISIVS ſupra laudatus tradiderat p. 387. eiusd. anni inſeruerint.

§. VI.

Non exiguum huius corticis commendationi pondus adiecit graviſſimum IO. HARTMANNI DEGNERI teſtimonium, qui in Hiſtoria Medica de dyſenteria bilioſo-contagioſa, quæ 1736. Neomagi graſſata fuit, p. 110. ſeqq. ſe eodem, antea parum noto, & a nemine ibidem adhibito, ſine ullo periculo aut noxa unquam animaduerſa, uſum fuiſſe commemorat, & minime vulgarem eius in morbo curabili percepiſſe utilitatem confirmat. Quod ſi reliquorum etiam Medicorum, qui variis in locis eodem uſi ſunt, obſeruationes, de modo illum adhibendi, aliisque cautionibus in uſu illius tenendis, atque ſucceſſu, quem in ſuis notauerunt ægris, litteris pari cum cura forent conſignatæ, perfectam iam fere illius ſperare liceret hiſtoriam. Nos interim ex his, qui nobis innotuerunt fontibus, aliisque in ſubſidium vocatis adminiculis, diſtinctam lectoribus noſtris de hoc remedio ideam ſuppeditare ſtudebimus.

Quantum Degnerus contulerit.

§. VII.

Vt vero de obiecto noſtræ disquiſitionis tanto certius conſtet, iuuabit deſcriptionem ipſius Corticis, qualis a IVSSIEV in diſſertatione ſua quodlibetaria ſupra laudata ſuppeditatur, atque inde a GEOFFROY in Materiæ Medicæ T. II. p. 211. aliisque repetitur, præmittere. *Eſt*

Characteres corticis indicantur.

igitur cortex coloris ex albo flaueſcentis, nullo odore præditus, ſaporis ſubamari, lenteſcentibus fibris conſtans, candido, leuiſſimo, inſipidoque ligno, a quo facile ſeparatur, adhæreſcens. Quam deſcriptionem cortici noſtro ſatis exacte conuenire experiundo cognouimus. Siquidem non ſolum illud fruſtum, Illuſtri HEISTERO ab ipſo IVSSIEV transmiſſum, quod pugni circiter craſſitiem obtinet, ſed & aliud quod triplo tenuius eſt, quodque ipſi B. FILIVS, eruditi, dum viveret, orbis expectatio, e Belgio miſit, easdem notas exhibent. Ita etiam aliunde mihi allatos cortices, a ligno ſuo ſeparatos, nihil ab illis diſcrepare animaduerti. Vnum illius fruſtum, quod ex Belgio pariter apportatum ſcimus, colore exterius magis brunno & obſcuriore, intus ſaturatius flaveſcente, conſpicuum erat, ſapore ceterum, reliquisue qualitatibus ab aliis non recedebat. Vtrum hi cortices a differentibus prorſus a ſe arboribus, aut diuerſis ſaltem eius ſpeciebus, aut forte diverſis unius arboris partibus, trunco nimirum vel radice, deſumti fuerint, determinatu difficilius videtur.

§. VIII.

Degnerus varia huius corticis vidit exempla.

Clariſſimus DEGNERVS in laudata de dyſenteria bilioſo-contagioſa hiſtoria p. 117. ſeq. iam tum conqueritur, quod hoc potiſſimum incommodum in uſu remedii huius exotici ſenſerit, quod accerſito e diuerſis exteris Pharmacopoliis cortice, plures eius ſpecies transmitterentur, atque ita multiplicarentur, ut magna inde confuſio, exoriretur. Siquidem non ex Belgio ſolum variæ ſub eodem nomine ſpecies oblatæ ſint, ſed cum maioris certitudi-

nis

nis ergo Lipſia etiam eundem apportari curauerit, aliam denuo ſpeciem cum prioribus minime conuenientem nactus ſit; imo cum, qualis Lutetiæ uſurparetur, ſcire cuperet, eundemque e regio pharmacopolio accerſiuerit, præter opinionem, cum omnes reliqui in aliquo tertio ſibi ſimiles eſſent, ſolus Pariſienſis ab omnibus reliquis ſpeciebus adeo diuerſus fuerit, ut vix unum characterem gereret, qui datæ deſcriptioni reſponderet. Sibi tamen illum potiſſimum probatum fuiſſe memorat, quem Amſtelodamo acceperit, quemue ibidem a Medicis uſurpatum compererit, qui non ſolum effectu ſe laudato commendauerit, ſed ad deſcriptionem eius proxime acceſſerit. Optaremus vero ut diſtinctius Cl. vir, tum illius, quem pro genuino habuit, notas, tum reliquorum ab eodem diuerſitates, in aliorum uſus annotaſſet.

§. IX.

Arboris deſcriptio a Marchaiſio data.

Tanto magis igitur optandum erat, ut de arbore, unde hic cortex petendus ſit, certo conſtaret. MARCHAISIVS quidem huic deſiderio ex parte ſatisfecit, ſiquidem loco ſupra citato, ita nobis arborem a Cayennenſibus SIMAROVBAM dictam deſcribit: Quod ſit arbor magna, cuius diametrum duos pedes exæquantem nonnunquam viderit, cortice fuſco, fiſſuris hinc inde notato, ſatis craſſo; folia eius longa dicit & acuminata, parumue craſſa, colore pallide vireſcenti prædita; lignum eius flauescentis eſſe coloris, quam vero flauedinem exſiccatum amittat, & albidum fere euadat, in fibras præterea facile diducendum, leueque admodum eſſe, monet; corticem denique membrana gryſea, & valde tenui circumdari notat.

Vt tanto clarius innoteſcat, ſynonimiam eius quoque adducit, aliis enim inſulis ſub nomine Ligni amari frequentari, neque aliam ibi eius virtutem notam eſſe docet, quam quod ob ſaporem amarum inſectis, quæ formicis candidis ſimilia ſint, & omnes fere alias arbores corrodant, minus grata, hinc ab illorum iniuriis tuta ſit. Quam deſcriptionem iamtum R. P. LABAT in libro, qui *Nouveau Voyage aux Isles de l' Amerique* inſcribitur, T. II. p. 335. iisdem fere verbis tradidit, omiſſa tantum eius virtute antidyſenterica, ibi locorum incognita, quæ Cayennæ demum detecta fuit: unde forte error ille ortus eſt, quod in B. SCHVLTZII libello poſthumo de materia Medica p. 434. aſſeratur, arborem, a qua cortex detrahitur, Cayennam dici. Sed cum MARCHAISIVS æque, quam LABATVS hiſtoricorum tantum partes agant, aliquas huius arboris notas ſuppeditaſſe contenti, reliquas, quæ a Medico in primis ad determinandum genus ſpeciemue arboris deſiderari poterant, a flore, fructuue, ſi quos ferat, petitas ſilentio prætermittunt, ſpemque noſtram de pleniori arboris cognitione deſtituunt.

§. X.

Iuſſieu circa hiſtoriam corticis naturalem inſtitutum.

Tanto vero magis accuratam omnique ex parte perfectam eius hiſtoriam a Cl. IVSSIEV expectare, imo a Botanico, qui illuſtri tot Eruditorum ſocietati nouum aliquod remedium poſt plurium annorum tentamina ex inſtituto commendare ſuſceperat, iure quodam flagitare poteramus. Verum enim vero illi alia omnia placuerunt, parum enim de arboris, a qua cortex hic ſeparatur, notitia, ob frequentes nauigationes commerciorum cauſa il-

luc

luc inſtitutas facilius cum aliqua certitudine obtinenda, ſollicitus, inter remedia antiquorum potius circumſpicit, & annon cum aliquo ab illis laudato comparari poſſit copioſius disqnirit. Optandum equidem foret, vt omnia, quæ a primis artis medicæ ſcriptoribus tanquam ſalubria commendata ſunt, remedia, ita accurate ab illis deſcripta, illorum memoria a ſequentium temporum medicis maiori cum cura conſeruata, nouisque experimentis confirmata, ſicque ſerie non interrupta ad nos traducta eſſent, ut nobis quoque fructus ex illorum laboribus capere, & remedia per tot ſecula utilia deprehenſa in noſtrorum uſus ægrotantium adhibere liceret. Sed poſtquam nimia illorum breuitate, & in tradenda naturali remediorum hiſtoria, quam tanquam ſuis temporibus omnibus notam ſuppoſuiſſe videntur, incuria, interpretum vero & commentatorum in illorum ſcripta oscitantia, eo res deducta eſt, ut multa ab illis ſummis encomiis ornata prorſus ignorentur; anceps hæreo, quodnam illorum laboribus pretium ſtatuendum ſit, qui ſimilitudines inter remedia nobis cognita & illorum deſcriptiones eruere, ſicque deperdita illa reſtituere conantur. Raro enim adeo felices eſſe contingit, ut ultra coniecturas exiguumque probabilitatis gradum in his determinandis aſcendere liceat, qui vero ad illa, iisdem in morbis, contra quos veteres commendarunt, adhibenda, neutiquam ſufficiet, niſi propriis experimentis certiora de illorum viribus edocti fuerimus.

§. XI.

Macerem cum Simarouba comparat.

Eadem fere Cl. viri fata fuerunt: ſiquidem apud DIOSCORIDEM equidem in Mat. Med. L. I. c. 95. Cortex

tex ſub *Maceris* nomine deſcribitur, qui aliqua notarum ipſiusque effectus illi adſignati conuenientia ad *Simaroubam* propius accedere videtur. Ipſa Dioſcoridis deſcriptio his verbis admodum conciſis abſoluitur. *Μάκερ φλοιὸς ἐστι κομιζόμενος ἐκ τῆς βαρβάρου, ὑπόξανθος, παχὺς, σύφων ἱκανῶς κατὰ τὴν γεύσιν. πίνεται. τὲ πρὸς αἵματος πτύσιν, καὶ δυσεντερίας, καὶ κοιλίας ῥευματισμόν.* Lectu omnino iucunda ſunt, & de inſigni Auctoris in antiquorum æque ac recentiorum ſcriptis euoluendis induſtria teſtantur, quæ de mentione eiusdem a GALENO, PLINIO & ARABIBVS facta, de ſupina ſequentium Medicorum oſcitantia, qui corticem hunc *Macerem* cum illo nucis Moſchatæ operculo, quod *Macis* appellatur, confundere, & pro eodem venditare non dubitarunt, repetit; ut & ea, quæ ex CHRISTOPHORI A COSTA Libro de Aromatibus cap. 12. adducit, qui iam tum corticem hunc deperditum reſtituere laborauit, & in quibusdam inſulis Orientalibus arborem etiamnum ab indigenis *Macre*, vel *Macruyre* adpellatam, deſcripſit, quæ corticis ſimilitudine & efficacia illis in terris ſpectatiſſima *Macerem* DIOSCORIDIS referat. Quæ vero ſingula hic fuſius commemorare nimis a noſtro inſtituto alienum foret, pleniusve vel ex ipſo ſcripto auctoris, *Hiſtoriæ Academiæ Paris.* Anno 1729. p. 46. ſeqq. inſerto, vel ex citato ſuperius A COSTA loco, vel etiam ex ABRAHAMI MVNTINGII *Naauwkeurige Beſchryving der Aardgewaſſen*, in quo libro ipſa ſimul arbor accurate p. 88. deſcripta, & figura XIII. eleganter delineata eſt, hauriri poſſunt. Sed paucis tantum attendere placet, quantum his omnibus ad ſtabiliendam SIMAROVBAE cum *Macere*

DIOSCO-

DIOSCORIDIS ſimilitudinem profecerit. Ita enim p. 48. phænomena conciliare ſtudet. DIOSCORIDES *Macerem* ſubflauum dicit, SIMAROVBA pariter coloris gryſei ad flauedinem vergentis eſt: DIOSCORIDES corticem *Maceris* craſſum dicit, SIMAROVBA pro diuerſa arboris aetate craſſitie variat: *Macer* ab omnibus pro valide adſtringente habetur, hæc vero pariter SIMAROVBAE potisſima vis eſſe videtur.

§. XII.

Accurata, non videtur Iuſſieu comparatio.

Verum enimvero nondum hæc omni ex parte reſpondere videntur; in primis ſi illam a COSTAE deſcriptionem coniungimus, qui ita corticem ſuum deſcribit. *Radices habet Ilici perſimiles, magnas, craſſas, in latum & profundum diffuſas, & cortice tectas craſſo, aſpero, ſcabro, duroque, cinereo foris colore, interius albo & lacteo ſucco prægnante, dum recens eſt, flaueſcente autem dum ſicca eſt, & admodum adſtringente, & licet ſuccus ille cum adſtrictione non nihil mordicet, breui tamen euaneſcit hæc veluti inſenſibilis morſicatio.* Neque enim aliqua duntaxat coloris ſimilitudo ſola ſufficit. Quæ vero de craſſitie dum a DIOSCORIDE dum ab ACOSTA adducuntur in noſtrum minime quadrare videntur. Quem enim noſtris oculis luſtrauimus ſiue amplo ligni fruſto, ſiue minori adhærentem, ſive ab eo iam ſeparatum, in omnibus ſibi ſimilem, & perquam modicæ craſſitiei deprehendimus: ita ut comparatione cum aliis corticibus *Peruuiano* v. g. & *Caſcarillæ* inſtituta, duplo fere his tenuiorem dicere, & ſic inter teneriores potius cortices referre debeamus; aſperum vero ſcabrum, durumue quod a COSTA de ſuo prædicat,

dicat, minime nominare poſſimus. Denique cum ad ſaporem potiſſimum in remediis cognoſcendis reſpiciendum ſit, de hoc plane nihil addit, etſi inſignis hic discrepantia occurrat, ſiquidem DIOSCORIDES expreſſis verbis monet, quod guſtatus valde adſtringat, a COSTA vero itidem urget, quod ad modum adſtringentis ſaporis ſit, & licet cum adſtrictione nonnihil morſicet, ille tamen ſenſus breui euaneſcat. Quoties vero SIMAROVBAM deguſtauimus, tantum abeſt, ut in gradu extantiore adſtringere perceperimus, ut potius nihil in illo auſteri, ponticique ſaporis aduertere potuerimus, ſed amarities duntaxat, cum aromatico quodam ſapore iuncta, ſatis diu, valideque papillas linguæ affecerit; quo ſolo charactere diverſitas utriusque corticis ſatis manifeſtatur. Quin ipſe IVSSIEV fere illud agnouiſſe videtur, dum ait: Certe ſi SIMAROVBA AMERICANORVM, non eſt Macer veterum, minimum illi figura & effectibus multum reſpondet: aut, apertius loquendo, loco illius *Maceris*, nobis non ſatis cogniti commode corticem hunc iisdem viribus conſpicuum adhibere poſſumus.

§. XIII.

Quomodo hic defectus emendari poſſit.

Multo ſane rectius noſtro quidem iudicio operam ſuam collocaſſet, atque Medici Botanici partes expleuiſſet, ſi potius veram ipſius arboris notitiam ex ſolo natali haurire ſtuduiſſet; quo ſtatim edoctus foret, an eadem arbor eſſet, quam a COSTA deſcripſit, vel quibus ſignis ab eadem diſtingueretur. Quod tanto facilius exploratu illi fuiſſe videtur, cum ſibi anno 1723. per Medicum Botanicum, BARRERE dictum, a Cayenna reducem, magnam eius

ius copiam allatam eſſe referebat, quem certiora de ipſius arboris notis tradere potuiſſe vix dubitare licet. Minimum ad perficiendam hiſtoriam naturalem, & ne noſtro forte cortici idem olim contingat, quod de *Macere* DIOSCORIDIS dolemus, optandum foret, ut ii, quibus ob commercia ſuarum gentium ea adire loca, aut certas inde relationes obtinere licet, huius æque corticis, ac aliorum remediorum inde adportatorum, veras origines indagare, aliisque accuratas deſcriptiones communicare non dedignarentur.

§. XIV.

Partes corticem conſtituentes ſenſuum & chemiæ ope indagantur.

Miſſa igitur ſuperuacua de Corticis SIMAROVBA conuenientia cum Macere antiquorum disquiſitione, atque ulteriori arboris, unde auellitur, indagine Botanicis relicta, potius de corticis ipſius natura, partibusque illum conſtituentibus ſollicitos eſſe par eſt, ut tanto certius de uſu viribusque eius ferre liceat iudicium. Cum in deſcriptione ſuperius iam tum indicatum fuit, quod nullo odore polleat, inde ſtatim patet, quod particulis volatilibus neutiquam ſcateat; id quod inſtituta etiam deſtillatio humida uberius confirmauit, utpote quæ aquam fere inſipidam, nullis olei ætherei veſtigiis imbutam, ſed mucilaginoſis duntaxat moleculis innatantibus conſpicuam ſuppeditavit. Neque tamen fatuum prorſus eſſe hunc corticem, ſapor eiusdem ſatis indicat, utpote, qui leuiter maſticatus amaritiem ſatis notabilem linguæ papillis imprimit, nulla tamen notabili auſteri cuiusdam fortius ſtringentis admixti perceptione iuncta: in quo diſſentiendum

nobis eſt a Cl. IO. PETR. EHLENIO, qui in diſſert. Præſide FRANC. IOSEPHO de OVERKAMP Wirceburgi 1742. *de Remediis ſpecificis in genere & in ſpecie de* SIMAROVBA habita, §. 28. eandem linguæ ſaporem initio blande amaricantem, poſt vero leniter auſterum inprimere, ac levem conſtrictionis ſenſum in ea relinquere aſſerit; & ſine aliis experimentis inſtitutis, ex binis his qualitatibus guſtatu perceptis omnem illius efficaciam deducere laborat. Ex quo ſapore mere amaricante colligere licet terreſtribus particulis, lignorum potiſſimam partem conſtituentibus, immerſas eſſe particulas ſalino ſulphureas fixiores intime ſibi unitas, ſicque, ſaponacei quid referentes: unde etiam amaritiem ſuam aquæ inter decoquendum facile communicat. Tanquam ſingulare phænomenon Cl. IVSSIEV in citato ſcripto *Hiſtoriæ Acad. Pariſ.* inſerto p. 50. allegat, quod, dum cortex hic in aqua ebulliat, illa albicans & muscoſa ac floccis veluti repleta appareat, verum etſi ſæpius hoc decoctum parauerimus, nunquam tamen illam mutationem obſeruare potuimus, ſed dum ebulliebat aqua, bullulæ eleuatæ in ſuperficie eius collectæ ſpumam paullo viſcidiorem diutius remanentem & cuticulam fere efformantem, qualis a ſapone admixto oriri ſolet, exhibebant, quæ tamen calore remittente aut leui eius agitatione iterum disparebant, ipſum vero decoctum colorem flaueſcentem inſtar infuſi Theæ ſaturatioris referebat. Vt tanto certius de partibus hac decoctione obtentis conſtaret, debita humiditatis euaporatione extractum gummatoſum, ſaporis inſigniter amaricantis, larga ſatis quantitate in ea contineri vidimus. Si quidem corticis drachmæ ſex extracti circiter drachmam unam

ſuppe-

ſuppeditarunt. Cum vero ſcire aueremus, an etiam reſinam in ſinu ſuo foueret, partem eius in ſpiritu vini disſoluimus; unde eſſentiam dilute flaueſcentem, ſapore amaro largiter ſatis imbutam nacti ſumus, cui cum aquam affunderemus, turbari illam quidem, veram tamen reſinam neutiquam inde praecipitari vidimus. Extractum vero leni exſiccatione obtinuimus, quod terreas ſubtiliores particulas cum ſulphureis unitas continebat: idem aquæ immerſum totum fere in eadem ſine calore digeſtionis diſſoluebatur, atque flauum aquæ colorem cum ſapore amaro conciliabat, paucis terreſtribus particulis in fundum ſecedentibus; manifeſto indicio ſulphureas illas particulas, quæ a ſpiritu vini ſolutæ erant, adeo arcte cum ſalinis coniunctas, & in ſaponaceum corpus mutatas eſſe, ut prompte aqueis etiam menſtruis diſſolui poſſint. Si igni admouebatur ſpirituoſum hoc extractum non equidem in lucidam, uti Reſinæ ſolent, flammam erumpebat, ſed ſcintillulas aliquas hinc inde emittebat, breui vero in cineres fatiſcebat. Demum etiam corticem igne aperto in cineres mutauimus, quorum lixiuium ſalem fixum, acrem, urinoſum ſatis copioſum præbuit, ut ex eiusdem drachmis ſex elicere fere ſcrupulum unum potuerimus.

§. XV.

Facile ex allatis colligitur, quod potiſſima corticis SIMAROVBAE vis in parte illa gummatoſa ſalino ſulphurea conſiſtat, partibus terreſtribus immixta: quæ eo blandiorem in corpore noſtro effectum exeret, quo magis moderata quantitate in eodem diſperſa tenerrimeque diſ- *Ex quibus effectus eius explicantur.*

 ſoluta

ſoluta videntur, elementa ſulphurea; ita ut neque in craſſam reſinam concreta calorem facile in corpore noſtro nimis augere, aut impetuoſas excitare commotiones valeant, neque nimia volatilitate narcoticam, corpori ſæpius funeſtam vim exerceant, neque etiam largiori principio auſtero immerſa nimia adſtrictione ſalutares excretiones intempeſtiue cohibeant, materiamque forte noxiam in corpore retineant. Salinæ vero partes intimiore nexu cum his coalitæ, uti blanda illorum pinguedine veluti irretiuntur, ne acriori ſtimulo partes teneriores nimis ſafficiant, ita tamen ad vaſa corporis noſtri delata fibras illorum leniter irritant, & ad frequentiores contractiones exſtimulant, atque ſecretiones illorum languentes excitant. Ob facilem igitur in corpore noſtro a liquoribus lymphaticis ſolutionem, utpote quibus eiusmodi ſaponacea promptiſſime uniuntur, ad intimiora corporis delata, effectum ibidem blande anodynum primo, mox etiam tonicum exſerunt, ſicque motus ſpaſticos tollendo æquabilem ſolidorum fluidorumque motum reſtituunt, & debilitatis partibus robur deperditum reddunt. Cumque in ventriculo ſtatim diſſoluantur, & cum eiusdem menſtruo uniantur, primum etiam inſignem in hoc effectum, ciborum appetentiam excitando, digeſtionemque partibus ſuis incidentibus promouendo, præſtabunt, &, ſi ab acrioribus humoribus eo delatis interior inteſtinorum tunica eroſa fuerit, unctuoſis ſuis partibus eandem delinient, mucique eam defendentis vices ſupplebunt.

§. XVI.

§. XVI.

In quanam dyſenteria adhibenda ſit oſtenditur.

Dum igitur corticis vires generales ex partibus eum conſtituentibus clarius innotuerunt, iam non empiricorum tantum more illum tanquam remedium in dyſenteria, aliisue alui fluxibus ſpecificum commendabimus ſed quanam potiſſimum in ſpecie, quibus præmiſſis, quoue illius tempore cum fructu eundem adhibere debeamus, determinare poterimus. Si enim ullus omnino morbus a diuerſis cauſis originem ducens, diuerſisque ſymptomatibus ſtipatus, variam expoſcit medelam, illud de dyſenteria pariter fatendum eſt; quam modo ab erroribus in diæta commiſſis indeque generato acri ſtimulo pendere, modo ab aeris nimis æſtuantis intemperie indeque acribus redditis humoribus ad inteſtina ruentibus, modo a bile corrupta, modo ab inflammatione in inteſtinis exorta, indeque enato ulcere oriri Practicorum libri abunde docent. Quando igitur ſaburra ſiue bilioſa ſiue aliarum cruditatum fomitem dyſenteriæ præbet, ad hunc ſtatim corticem confugere inconſultum omnino foret, ſiquidem hic prouidam materiæ peccantis euacuationem ſiue per vomitoria ſiue per purgantia ſelecta ante omnia tentandam indicatur, ut periculum a diuturniori mora eius metuendum præcaueatur. Vnde Cl. IVSSIEV l. c. p. 52. fatetur, quod periculoſum, aut minimum inutile futurum ſit, in illis alui fluxibus eum adhibere, ubi primarum viarum euacuatio ante neceſſaria ſit, quam de roborandis inteſtinis cogitare liceat, ne alui conſtipatio per illum inducta materiam in corpore remoretur, in illis potiſſimum ſubiectis, quibus viæ urinariæ minus expeditæ,

peditæ, quiue difficilius ad ſudores diſponuntur, unde ante eius uſum generalia præmittenda ſint. Cl. etiam DEGNERVS, quem in dyſenteria epidemica bilioſa illum cum fructu adhibuiſſe ex libro eiusdem ſuperius commemorauimus, nunquam ab eius vſu ſe medelam inchoaſſe, ſed ſemper vel Ipecacuanhæ vel Rhabarbari uſum, ad remouendam bilis corruptæ colluuiem præmiſiſſe p. 95. fuſius docet, ſed indicatione euacuandi probe prius curata, ſi malum cedere noluerit, ea demum remedia, quæ acrimoniam bilioſam infringerent, corrigerent, & ſimul læſionem ab illa ſaburra inductam, tonumque inteſtinorum debilitatum reſtituerent, & inter hæc principe loco SIMAROVBAM, in auxilium cum fructu vocata oſtendit. Hoc itaque morbi ſtadio rite in poſterum etiam adhibita ſpem noſtram non facile deſtituet, atque in primis in fluxu ſanguinis & materiæ cruentæ, quæ læſionem interioris tunicæ vaſorumque eroſionem teſtatur, ſiſtendo, blando ſuo unctuoſo principio terreis tenerioribus iuncto operæ pretium præſtabit. Cum ſubinde etiam alui fluxus, ob tonum inteſtinorum debilitatum, imo læſa digeſtione, chyloque crudo ad cor delato, vitiatam ſanguinis maſſam, & hinc perpetuum materiæ acris ad inteſtina decubitum, chronici euadant, miſereque ægros debilitent, atque lente veluti conficiant, hisque pariter debellandis tanquam maxime adæquatum remedium commode deſtinabitur, id quod diſſertatione ſupra laudata: *An inveteratis alui fluxibus* SIMAROVBA *conducat?* fuſius euincendum ſibi ſumſit Cl. IVSSIEV: in quorum cenſum ſeroſobilioſos, ſanguinolentos, mucoſosque fluxus, a continuo inteſtinorum conuulſiuo motu inuetera-

ueteraſcentes refert, quibus ſopiendis vi ſua anodyna egregie ſuccurrat: etſi alios eiusmodi fluxus, qui ſpecie excrementorum prioribus quidem ſimiles videntur, ab alia tamen cauſa, cancroſo ſcilicet inteſtinorum ulcere, vel viſceris alius abſceſſu pendeant, hoc cortice, uti forte nec aliis remediis, haud curari poſſe lubens fateatur.

§. XVII.

De modo operandi agitur.

Benignam vero corticis noſtri temperiem inprimis placidus ille, quo in corpore noſtro effectus ſuos præſtat, modus confirmat. Siquidem Cl. IVSSIEV l. c. p. 51. teſtatur, quod rite adhibitus, ſine ulla per vomitum, aut ſeceſſum euacuatione operetur, urina ſolum maiori quantitate magis limpida ſecernatur, & in quibusdam ad ſudores procliuibus largius illi ſuccedant, dolores vero alui leniantur, & deiectionum frequentia minuatur, foecum odor foetidus ceſſet, e liquidis incraſſeſcant, appetitus vero reſtituatur, & breui æger reficiatur. Illud præterea ab ægrotis eo reſtitutis, ſibi relatum memorat, quod ab altera fere medicamenti doſi ſenſum quendam obtuſum per totum corpus perceperint, quem pro certamine remedii cum cauſa morbi habuerint. Maxima ex parte encomiis his reſpondet Cl. DEGNERI experientia, niſi quod pauciores adhuc mutationes ab illo inductas viderit, utpote qui l. c. p. 116. teſtatur: *Effectus erat admodum lenis, & propemodum inſenſibilis, nec potui proprie aduertere, quod urina maiori copia redderetur, aut in nonnullis ſubiectis abundantes ſuperuenerint ſudores, nec motum illum obtuſum internum per totum corpus, quem ægri certamen cum morbo vocitarunt, in no-*

ſtris ægris obſeruaui. Ex diminutione tantum morbi, dum dyſenteria ſub illius uſu ſimplici quotidie leniter decreſcebat, & ſymptomatibus paullatim ceſſantibus, concludere debui, corticem hunc amaritie ſua non ſolum eſſe bonum corrigens & temperans, ſed & ad firmanda viſcera tutiſſimum tonico-roborans ac ſedatiuum, ideo reliquis anteferendum. Cum enim omnia fortiora & poſitiue adſtringentia noxia eſſent, hic cortex ſine ullo ſcrupulo & periculo adhiberi poterat, ut effirmare queam, illum, ubicunque eius uſus ſucceſſu caruit, nullam noxam attuliſſe. Quæ ſane elogia, inſignem eius præſtantiam abunde patefaciunt, dum ſine omni corporis perturbatione, quæ ſæpius a generoſioribus remediis ſeparari nequit, hinc uſum eorum multis cautionibus obnoxium reddit aut prorſus vetat, laudatiſſimos tamen effectus tacite producit. Vti vero ex Cl. DEGNERI obſeruatione materiam peccantem partim correxiſſe, partim motus inordinatos ſopiuiſſe, atque reſtituto æquabili ſolidorum, fluidorumque motu, quicquid forte heterogenei in corpore adhuc hæſit, per inſenſibilem tranſpirationem expuliſſe videtur, ita effectus illi quos Cl. IVSSIEV annotauit facile omnino ex perſpecta eius natura intelligi poſſunt. Cum enim antea omnis fere impetus ad inteſtina rueret, acrisque materia illuc depoſita ſpaſmos ibidem vehementiſſimos ob ſenſibiliſſimas interioris tunicæ papillas neruorum excitaret, eo atrociores futuros, quo diutius malum continuauerit, illamque eroſam ſauciam atque cruentam reddiderit, omnemque mucum illam in ſtatu ſano defendentem abſterſerit, hos ante omnia ſopiri neceſſum erat, quod ab unctuoſis eius ſeu balſamicis partibus inteſtina lubricantibus

cantibus

cantibus iure expectari poterat: inde vero ad ſanguinem delatæ partes ſalino-ſulphureæ motus antea languentes temperato ſuo ſtimulo reſtituebant, ſicque exeretiones impeditius antea ſuccedentes de nouo ciebant, ſiquidem & cutim ſæpe aridam & urinam parciſſime in his malis prodeuntem aduertimus, adeoque pro diuerſitate ſubiectorum nunc per urinarios tubulos, nunc per cutis habitum peregrina miasmata ex corpore proſcribendo per reuulſionem etiam malum infringebant. Neque attentis phænomenorum in morborum progreſſu occurrentium obſeruatoribus incognitum eſſe poterit, quando materia antea cruda mutari & ad motum per vaſa obſtructa diſponi incipit, ſenſum eiusmodi veluti fremebundum in toto vaſorum ſyſtemate percipi, criſinque inſtantem pro varia materiæ indole varioque impetu nunc vehementiori nunc leniori gradu præcedere, quod in his quoque ægris, dum vaſa a ſtimulo illo, quem partes remedii actiuæ excitabant, ad fortiores oſcillationes inſurgebant, contigiſſe concludimus. Quo vero tenuiori textura prædita ſunt mortalium corpora eo exquiſitiorem etiam vel leuiſſimarum mutationum ſenſum in illis excitari ſatis conſtat, ut adeo mirandum non ſit, ſi crebrius diſtinctiusve a Gallis, leuiſſimo ſtimulo commouendis, quam a Belgis, quorum ſtabiles magis fibræ non adeo facile concutiuntur, hanc motuum inuerſionem perceptam legimus.

§. XVIII.

Ne quis vero ſola duntaxat experientiſſimorum horum duumuirorum Cl. nimirum IVSSIEV & Cl. DEGNERI *Werlhofii Experientia Sima-*

roubæ virtus ſtabilitur. NERI auctoritate fretos nimis in aſſerenda SIMAROVBAE efficacia nos faciles credulosue fuiſſe obiiciat, ut Cl. EHLENII teſtimonium laudata, de remediis ſpecificis & in ſpecie de SIMAROVBA diſſertatione §. 27. extans, taceamus, ubi a Clariſſimo SAXIO, Argentoratenſium Profeſſore, hanc radicem ex propria experientia in diarrhœis commendatam perhibet, his Illuſtris WERLHOFII *Magnæ Britanniæ Regis Archiatri Celeberrimi* calculum addere liceat. Cum enim nulli dubitaremus, Illuſtrem Virum, qui in ſelectiſſimis ſuis de Febribus obſeruationibus p. 102. hunc corticem ulterioribus medicorum tentaminibus commendauerat, ipſum in praxi ſua copioſiſſima pariter ac feliciſſima eius virtutes data occaſione explorauiſſe, litteris eundem compellare, eiusque de cortice iudicium expetere auſi ſumus. Quibus precibus cum pro ſumma, quam merito prædicamus, humanitate abunde ſatisfecerit, pace illius notatu digniora ex literis eius reſponſoriis adiiciemus. Poſtquam enim Corticem hunc, ſæpius a ſe cum in recentibus tum inveteratis alui fluxibus in vſum vocatum, virtutemque eius ſopientem, roborantem, & diureticam ſibi probatam fuiſſe confirmauit, variaque de vſu eius generatim, ut & de blandiſſimo operandi modo, iis quæ ſuperioribus paragraphis adduximus, undique reſpondentia adduxit, hæc ſpeciatim ſubiicit: *In dyſenteriis epidemice graſſantibus Hannoueræ, tum etiam anno 1743. prope Rhenum, tam felicem huius remedii ſucceſſum non expertus ſum, quem* DEGNERVS *prædicat, qui eius potiſſimum uſu illas ſe profligauiſſe memorat. Quamdiu enim morbus in incremento & ſtatu erat, adhibita quamuis* SIMAROVBA, *neque dolores inde ſopiebantur, neque*

que deiectionum frequentia multum minuebatur. Sed ſi quando remittente mali vehementia morbus protrahebatur, & reliquiæ mali pertinaces diutius affligebant, ſæpius ſalutarem effectum præſtitit. Binorum inter alia recordor ægrotorum, qui anno 1743. cum prope Moguntiam caſtra locaſſemus, dyſenteria correpti, non niſi poſt aliquot ſeptimanas Vormatiam, quorſum interеam nos coutuleramus, ſequi poterant; Quorum alter quotidie adhuc aliquoties cum doloribus intermixtis etiam ſanguinis veſtigiis aluum deponebat, & tumores pedum œdematoſos ſupra genua asſurgentes exhibebat; Alter præter ſimilem pedum tumorem ad genua fere usque aſcendentem intolerabili tenesmo & asthmatico affectu laborabat. Vtrique decoctum SIMAROVBAE *exhibui, eodemque ultra 14. dies, ad perfectam usque ſanationem continuare iuſſi; Siquidem poſt paucos dies euphorias morbique in melius mutati indicia comparebant, dum dolores remitterent, fæces magis conſiſtentes redderentur, urina copioſius & meliori colore ſuccederet, tumor vero œdematoſus minueretur, donec ſenſim priſtinum vigorem recuperarent.* Hoc Celeberrimi Medici elogium tanto magis confirmandæ corticis virtuti inſeruire videtur, quo magis, in limitandis eius laudibus circumſpectum, iuſtum tantum pretium ei ſtatuere illum aduertimus.

§. XIX.

Contra Cockburnium defenditur.

Nulli dubitamus æquos rerum arbitros nobiscum conſenſuros, quod iterata hæc de effectu SIMAROVBAE in diuerſis Europæ etiam regionibus experimenta, potiſſimis in momentis conſpirantia, locum illi inter medicamen-

ta non infimi gradus, neque exigui in morbo grauiſſimo momenti conciliare, atque ad vires eius in dies curatius indagandas medentes compellere debere. Minus enim excuſanda videtur incuria WILHELMI COCKBVRNII, qui in diſſertatione *de difficili alui fluxuum curatione* Transact. Philoſoph. Anglic. Anni 1732. Nro. 425. artic. 13. inſerta, dum de viribus SIMAROVBAE a IVSSIEV aſſignatis disquirit, totum negotium his verbis confici poſſe arbitratur. *Superfluum foret, ad ea quæ de Simarouba dicta ſunt, & in quantum illa, ubi Ipecacuanha parum prodeſt: defectum eius ſupplere poſſit, pluribus reſpondere, nimis enim pauca ſunt experimenta cum ea inſtituta, quam ut uniuerſalem eius uſum probare poſſint.* Quæ ſi maioribus noſtris placuiſſet ſententia, multa adhuc magnarum virium remedia in occulto laterent, quæ laudabili illorum induſtria publici nunc uſus reddita ſunt. Siquidem aliqua præclaræ virtutis indicia, non quidem ad aſſenſum coeca fide præbendum, ſed tamen ad tentamina ſollicite continuanda cauſſasque eruendas animum ampliandæ cognitionis cupidum merito commovebunt.

§. XX.

Contra Soterium defenditur.

Neque Cl. SOTERII iudicium, quod in diſſertatione anno 1734. ſub Præſidio celeberrimi quondam FRID. HOFFMANNI Halæ defenſa §. 40. de SIMAROVBA tulit, ad minuendas eius laudes tantum valere crediderim, quantum ex rationibus ab eo allegatis primo intuitu quis colligere poſſet. Siquidem ea potiſſimum ex cauſa veretur, ut illa ſpem factam ſuſtinere valeat, quod dyſenteria Cayennenſis ex ipſa MARCHAISII relatione ſupra a nobis

nobis §. II. inſerta, ab illa, quæ in Europa ſubinde graſſatur, multis modis diuerſa ſit, adeoque alia remedia, aliamque medendi methodum poſcat. Cayennæ enim omni anni tempore infeſtam eſſe, atque errores in diæta ſæpius pro cauſa agnoſcere, quæ apud nos menſibus potiſſimum æſtiuis epidemice graſſetur, & ſæpe etiam temperantiæ quam maxime ſtudioſos inuadere, quin etiam febres intermittentes ibidem excipere dicitur, quod apud nos admodum infrequens eſt. Nimis longum foret omnes dyſenteriæ aliorumque alui fluxuum diuerſis in regionibus differentias hic excutere, aut MARCHAISII de cauſis morbum ibidem cientibus iudicium prolixe defendere. Interim ſatis conſtat, quod in regionibus illis calidioribus ea ſit aeris temperies, quæ quouis anni tempore huic morbo producendo faueat, eoque maior ibi diætæ ratio neceſſaria videatur, quod in corporibus ex aeris vitio languentibus ciborum digeſtio facillime turbetur, ſicque huic morbo fomitem præbeat. Quod eleganter pluribus euicit Cl. PAXMANN in *obſeruationibus de Indorum morbis & Medicina* ſub Præſidio Cel. IO. HERM. FVRSTENAV Rintelii 1735. exhibitis, ubi non ſolum aeris conditionem & vitæ genus victusque rationem plurimum in ciendis illorum morbis accuſandam Obſ. III. & IV. generatim exponit, ſed Obſ. VII. inprimis alivi fluxus ſimplices & cholericos, hepaticos & dyſentericos ibidem eſſe frequentiſſimos, atque ab iisdem pendere cauſis ex inſtituto docet. Inter febrium vero intermittentium etiam effectus ſubinde aluinos fluxus diuerſi generis referendos eſſe SOTERIVS vel ex ſelectis Ill. WERLHOFII *Obſerv. de Febribus* diſcere potuiſſet, qui p. 100. diſertis verbis monet:

net: *Obſeruauimus aliquoties exantlata iam febre, in iis maxime ægris, qui ſanguine hæmorrhoidali & ſero ſcorbutico turgere viſi ſunt, ſupereſſe diarrhœam ſeri bilioſi indolentem, vel dolorificam, muco interdum ſanguinolento mixtam.* Qua occaſione SIMAROVBAM noſtram, tanquam utile hic futurum remedium commendare non dubitat. Imo ſi iuxta SYDENHAMVM dyſenteria eſt febris intro ad inteſtina conuerſa, mirandum non erit, ſi materies, quæ ante intermittentem febrem excitauerat, temporis mora, cauſisque externis forte accedentibus peior acriorque facta ad inteſtina ruat, ibidemque febrim inflammatoriam i. e. veram dyſenteriam excitet. Denique ut paucis rem expediamus, nos iam quidem SIMAROVBAM non eam ob cauſam commendandam cenſemus, quod a CAYENNENSIBVS experientia edoctis, tanquam ſingulare fidumque remedium in alui fluxibus variis, ſiue illi eandem, quam nos, ſiue aliam agnoscant cauſam, felici cum ſucceſſu adhibeatur; Sed quia hac illam partium ſuarum miscela gaudere vidimus, a qua acris materiæ correctionem, dolorum, ſpasmorumque inde pendentium ſopitionem, toni denique deſtructi reſtitutionem, expectare poſſumus: Atque his etiam indicationibus, in omni aluinorum fluxuum curatione attendendis, ex voto medentium reſpondere, experientiam, pluribus in regionibus ſolerter inſtitutam, teſtimoniis virorum omni fide dignorum confirmantibus, edocti ſumus.

§. XXI.

Quibus in morbis a-

Quod commodum cognitio rerum per ſuas cauſas in omni ſcientiarum genere afferre ſolet, ut pluribus inde

de deducendis concluſionibus inſeruiat, illud in Medicina etiam percipi læti agnoſcimus: Siquidem natura remediorum clarius perſpecta, cauſaue, cur in uno morbo cum fructu exhibeantur, explorata, eorundem uſum in aliis morbis facilius eruere, iisdemque non minori cum fiducia opponere poterimus. Hinc etiam Cl. IVSSIEV virtute eius in dyſenteria adeo ſingulari cognita, huic ſoli debellandæ non eſſe deſtinandam cenſuit, ſed potiſſimum in hæmorthagia uterina, multis feminis in Gallia familiari, & incongruo aluminis fortiorumue adſtringentium uſu ſæpius fatali, SIMAROVBAM in uſum ſe vocasſe laudato ſæpius ſcripto p. 48. commemorat, neque felici ſucceſſu ſua tentamina per plures annos continuata in hoc etiam morbo caruiſſe confirmat. Nemo medentium ignorat, quam graues, quamue pertinaces eſſe ſoleant hæmorrhagiæ uterinæ, quibus fœminæ, uti quauis ætate, ita potiſſimum menſium conſueto termino poſt quadrageſimum annum ad finem properante, obnoxiæ redduntur: quas non ab acri ſolum ſtimulo in ſanguine ad uterum congeſto, hincque inductis ſpasmis excitari, ſed ab ipſius uteri læſione, & inſigni atonia ſæpius ſuſtentari practicorum ſcripta docent. Hinc ſelectiora etiam ſæpe remedia eludunt, & per plures annos ægrotas miſere vexant, validioribus vero adſtringentibus oppoſitis vel magis ſubinde irritantur, vel tumores œdematoſi, viſcerum obſtructiones, hydropes preſſo pede inſequi ſolent. Quæ cum medentium non minus quam ægrotantium patientiam fatigant, illos dudum de efficaci contra rebelle hoc malum remedio ſollicitos reddiderunt. Hinc, cum indicationes ſatis reſpondere videantur, atque in dyſenteria

liis adhiberi poſſit.

inprimis SIMAROVBAM ſanguinis fluxum feliciter compeſcere compertum ſit, experientiam a IVSSIEV allegatam non eſſe temere negligendam, ſed data occaſione prudenter imitandam cenſemus. Quod uti ſine noxa metuenda fieri poſſe perſuademur, ita, ut multarum in ſolatium felix euentus reſpondeat, optamus. Neque dubitamus, quin medicus cum iudicio praxin exercens, variis aliis morbis, in quibus eædem indicationes, leniendi, abſtergendi, roborandi urgent, quorſum excretiones ſeroſas excedentes, & in his forte fluorem album æque ſæpe pertinacem, variasque cachexiæ ſpecies, iure referas, SIMAROVBAM accommodare, ſicque uſum illius magis polychreſtum reddere poſſit.

§. XXII.

Quomodo & qua doſi Simarouba exhibeatur.

Cum vero non parum ſcire referat, qua doſi, quaue forma remedium quoduis exhibendum ſit, paucis hic modum ab aliis traditum ſubiungemus. Multa medicamenta effectum ſuum feliciſſime exerunt, ſi parum vel nihil mutata exhibeantur, utpote quorum vis a determinata illa partium miſcela potiſſimum pendere videtur, qua ab artifice deſtructa illa perit, aut inſigniter minimum labefactatur. Idem & in SIMAROVBA deprehenſum eſt, unde vel in ſubſtantia quod dicunt, vel in infuſo, ad unum omnes illam porrexerunt. Modum, quo CAYENNENSES, quibus prima inuentionis laus debetur, illam uſurpent, MARCHAISIVS l. c. hunc tradit. Ad dyſenteriam curandam cortex radicem ambiens, vel tota radix adhibetur, quæ in puluerem tenuiſſimum radendo redacta, granorum viginti pondere, affuſa modica aquæ quantitate

titate per decem horas digeritur; præmiſſa venatectione, aluoque purgata, mane totum infuſum cum ipſo puluere propinatur, æger in lecto decumbens, in calore quantum fieri poteſt, detinetur. Duodecim horis præterlapſis eadem doſis ſimili modo parata offertur; atque grauiter pertinacem, inueteratumque eſſe debere morbum aſſeuerat, qui non ſexies repetito remedio cedat, dummodo, quod religioſe vetat, non alia, quam præſcripta ratione uſurpetur. Cl. IVSSIEV parum ab hoc in modo præparandi, ſed in doſi & repetitione remedii aliquantum recedit. Siquidem ita in Diſſ. præcipit: *Corticis minutim ſecti drachmas duas in aquæ libris duabus ad tertiæ humiditatis conſumptionem decoque. Decocti in doſes quatuor diuiſi unam tertia quaque hora tepidam propina, vel corticis aut ligni pulueratorum drachmam ſemiſſem, in aquæ puræ unciis duabus dilutam, aut cum adianthi ſyrupo in bolum redactam, pro una doſi, hora opportuna præbe; repetitis medicamenti ſub qualibet forma doſibus ad integram usque ſanationem.* Decocti tamen magis ſalutarem effectum, quam corticis, lignique in puluere dati ſe deprehendiſſe monet. Cl. DEGNERVS l. c. §. 51. in eo cum IVSSIEV conſentit, quod decoctum non ſolum commodius ad propinandum, ſed etiam melius & efficacius ipſo puluere corticis cenſeat, qui ventriculo grauis & moleſtus eſſe videatur, nec fluxum ita commode compeſcuerit: Decoctum vero ſuum ex SIMAROVBAE drachmis duabus, in ſufficienti quantitate aquæ communis ad remanentiam unciarum octo decoctis, addito ſubinde ſyrupo papaueris rhoeados vel albi, pro guſtu fallendo, parari §. 44. docet, cuius unciam unam vel duas pro ratio-

 ne

ne rerum circumſtantium quouis trihorio vel quadrihorio ægris exhibuerit, uſu itidem per aliquot dies ad plenam usque ſanitatem continuato.

§. XXIII.

Epicriſis. Vt noſtram ſententiam paucis expediamus, primo uſum ſolius corticis, præ ligno vel ſolo, vel admixto præferimus. Siquidem ſuperius lignum leuiſſimum inſipidumque fere eſſe indicauimus, ex quo ſatis apparet, exiguas illi vires medicatas ineſſe, quas in cortice multo magis concentratas deprehendimus. Quare cum plerumque ad nos a ligno ſeparatus afferatur cortex, huius ſolius uſui lubentes inhærebimus. Neque vero eundem in puluere datum, tam ſalubrem futurum cum utroque clariſſimorum virorum cenſemus, cum non tam particulas terreas copioſiores, magno hic uſui neutiquam futuras, quam ſaponaceas & gummatoſas expetamus. Hæ vero mediante decoctione a terreis ſeparatæ in decocto ſine multa nauſea, ventriculique moleſtia obtinentur, promptiusque ad ſanguinem deriuantur. Quanquam non dubitemus, extractum etiam ex hac decoctione per inſpiſſationem paratum, quicquid MARCHAISIVS contradicat, ſalutarem ſæpius effectum, more aliorum extractorum amarorum, in chronicis affectibus præſtiturum, cuius uſus vel pilularum, vel elixirii concentrati guttatim exhibendi, forma, magis forte delicatis ægris ad palatum futurus ſit, quam ſi per aliquod ſeptimanas quotidie decoctum amaritie ſatis inſigni imprægnatum haurire debeant. Hæc ergo ſunt, quæ de SIMAROVBA noſtra notanda cenſuimus. Faxit DEVS TER OPTIMVS, TERQVE MAXIMVS ut in plurium aliquando ægrorum ſalutem hæc omnia cedant.